

R.2

C-95
9

De Translatione S. Jacobi

M. 12603

C-95
9

12-2-34
DE FESTO TRANS

LATIONIS SANCTI IACOBI APOS-
TOLI PER VNIVERSAM HISP-
NIAM CELEBRANDO.

AMBROSII MORALIS CORDVBEN-
sis Catholici Regis Philippi. II. Historici Oratio, & His-
panici iuris ante quinque clarissimos iudices Illustrissimos
& Reuerendissimos sanctæ Romanæ Eccle-
siæ Cardinales in eadem causa
productio.

(?)



CORDVBÆ

Excudebat Iacobus Galuan,

Anno. 1590.

R. 12537

THE FIRST

LATONIS SANCTI MONASTII

TOTI PER UNIVERSAM

NIAM CETERARUM

UNIVERSITATIS MONASTII

UNIVERSITATIS MONASTII

UNIVERSITATIS MONASTII

UNIVERSITATIS MONASTII

UNIVERSITATIS MONASTII

UNIVERSITATIS MONASTII



CONTRA
EXCELSUM IACOBUM
VINE

C 1

D. IOANNI DE SANTO
CLEMENTE ARCHIEPISCOPO

Compostellano, Maiori Regum nostrorum Sacel-
lano, & supremo regni Legionensis
cancellario:

AMBROSIVS MORALES CORDV-
bensis Philipi. II. Regis Catholici Historicus
S. P. reuerenter dicit.

(.?.)



CRIPSIT ad me nuper præstantia
tua, Præsul amplissime, poposcisse abste-
per literas Illustrissimum & Reuerendis-
simum dominum Rodericum de Castro
Cardinalem Hispalensem, vt ad se quam
primum transmitteres, quæ cunque haberi possent fide dig-
na testimonia, quibus aliquid de rebus ad sanctum Iacobum
Apostolum, aut eius in Hispaniam translationem pertinen-
tibus, contineretur. Aiebat enim hoc ipsum ab sese per lite-
ras Roma missas Illustrissimum & Reuerendissimum Ie-
sualdum Cardinalem itidem petiisse. Refert insuper præ-
stantia tua, quemadmodum cum paucula quædam, opportu-
na tamen & accomodata, quæ congerere potuit, eidem Illu-
strissimo Cardinali Hispalensi transmississet: ipsum præte-
rea ad meam historiam remississe, vbi plura de his ipsis rebus
à me essent copiose & diligenter per scripta. Tunc ego, qui

pertractari totā hāc causam Romae intellexissem, illico illam suscipiendi amore iustissimis de causis incensus, omnia quae postulare videbatur, magna diligentia congesi atque disposui. Eam ipsam orationem meam, & iuris Hispanici in causa productionem ad te, Praesul Amplissime, Romanam tua tuorumque cura perferendā transmittō. Te enim id potissimum decet, ecclesiae Compostellanae cum summa Archiepiscopi dignitate praesidentem, & sancti Apostoli Iacobi cultui & venerationi augenda & constabilienda à Deo Opt. Maxim. praefectum. Ego verò ad quem nisi ad te, Antistes praestantissime, haec mittere deberem? quem à tua pene pueritia vnice non tam coniuncti sanguinis propinquitate, quam maxima indolis admiratione dilexi, & nunc in hac tua sublimi dignitate reuerenter colo. Tu verò me inuicem tua insigni liberalitate magnis subinde beneficijs cumulas, quibus senectutem meam benigne foues, & magnificentissime sustentas. Vale Praesul amplissime. Cordubae mense Maio. Anno M.D.XC.

LAVDATE DOMINVM
IN SANCTIS EIVS.

DE FE.

DE FESTO TRANSLATIONIS
SANCTI IACOBI APO-

stoli per vniuersam Hispaniam
celebrando,

AMBROSII MORALIS CORDV BEN
sis Catholici Regis Philipi, II. historici Oratio, & His-
panici iuris ante quinque clarissimos iudices Illustrissi-
mos & Reuerendissimos sanctæ Romanæ
Ecclesiæ Cardinales in eadem
causa productio.



Ost recentem illam sanctissimi D. N. Six-
ti V. Pontificis Maximi concessionem,
qua Hispaniæ vniuersæ proprium sancti
Iacobi Apostoli officium tribuit recitan-
dum, festumque Translationis eiusdem
sancti Apostoli Compostellanæ ecclesiæ tantum, atque eius
diæcesi celebrari permisit: literis eius congregationis & in
signis confessus, qui de sacris ritibus ecclesiasticis que cere-
monijs Romæ est ab eodem sanctissimo D. N. institutus,
intellectum est, denuo de celebrando per totam Hispaniam
eodem Translationis festo deliberari. Illustrissimus enim
& Reuerendissimus Iesualdus Cardinalis, qui in illa est cõ-
fessu, expetente hoc ipsum atque adeo iubente eodem san-
ctissimo D. N. ad Illustrissimum & Reuerendissimũ Car-
dinalem Hispalensem scripsit, vt ad se quam primum trans-

mitteret, quaecumque scripta haberi possent, quibus aliquid
de rebus ad eundem sanctum Apostolum pertinentibus con-
tineretur: ut idem insignis confessus maioribus praesidijs &
adiumentis de festo Translationis per totam Hispaniam
celebrando, denuo possit religiose & prudenter statuere.
Tunc ego, qui Romae pertractari rursus tota hanc causam
inde animaduertissem, illico miro quoddam eandem susci-
piendi amore exarsi. Illa enim tota mea est prorsus, ut qui
tanto opere iam olim in ea elaborauerim: iudices vero dignis-
simos praeterea esse intelligam, quibus omnia etiam cum sum-
ma defatigatione senilis meae etatis exhibeantur, quae sibi
nota esse magno opere cupiunt, quo causam totam penitus
introspeciant, atque discutiant. Et sanctissimi D. N. sum-
mi Pontificis vel leui desiderio enixe fuit obsequendum.
Quis vero, harum rerum vel mediocri cognitione pollens,
sancti Apostoli causam desereret, quam patrono & defen-
sore carentem, palam cerneret periclitari? Michi autem mul-
to minus fuit negligenda, qui ab ineunte adolescentia eius
sanctitati atque praestantiae fuerim deuotissimus. Neque
impar omnino huius causae, quauis maximae, patronus habe-
ri possim. Etenim (soli Deo honor & gloria) magnam lon-
gae etatis meae partem in peruestigandis ecclesiasticae per
Hispaniam antiquitatis rebus omnibus, & sancti Apostoli
praesertim (quod nostra abunde testatur historia) indefesso la-
bore consumpsi. Quanto enim me minus ingenio valere sen-
tiebam, tanto magis diligentiae subsidium adhibui. Et in
hac defensione mihi vendicanda et prosequenda, credo equi-
dem

dem neminem futurum, qui me aut patriæ charitate duci,
aut tenera ac propensa in diuum Apostolū deuotione trans-
uersum agi existimet: sed solo veritatis proferenda studio
commoueri: quæ in causa tum per se magna, tum etiā religio-
sa admodum & pia magnis votis desideratur, & exquiri-
tur. Nisi enim insignem illum confessum Romæ præsiden-
tem, id ipsum in primis auide expetere, suaque cura & dili-
gentia ad nos vsque Hispanos protensa satagere etiā liqui-
do comperissem: importune, atque adeo impudenter hanc
causam iniussus suscepisse viderer. Sed ego tanto id li-
bentius feci, quanto mihi sanctum clarissimi confessus
desiderium, sua postulatione satis declaratum spondit,
hunc nostrum laborem gratum eidem futurum. Atque in
hac defensione duo michi præcipue asserenda, & magnis te-
stimonijs video esse confirmanda: corpus nimirum sancti
Iacobi Apostoli Hierosolyma olim in Hispaniam delatum,
Compostellæ fuisse sepultum, & cum aliquot sæculis
delituisset, tandem fuisse adinuentum, inibique hodie
asseruari. Inde vero aperte satis illud alterum huius meæ
defensionis caput consequitur, Translationis festum per to-
tam late Hispaniam esse celebrandū. Vtrumque enim vtri-
que fidem facit, & vicissim mutua sese certitudine confir-
mat. Tertium superaddam, non noua ferme concessione ad-
hoc ipsum opus esse, cum sit antehac plene ab sancta sede
Apostolica tributum. Ego verò hæc omnia, quantum susce-
pti negotij capit natura, quantum humana imbecillitas pro-
batis rationibus & testimonijs consequi potest, vera esse &
indubitata,

indubitata, non proterue aut peruicaciter, sed, vt decet, sub
misse & obsequenter ostendam. Verum enim verò, quo pers
picue magis atque dilucide defensionem hanc persequi pos
sim, aduersarium mihi nunc iam mature confingam, quo cū
disceptando, clarius omnia & euidentius perspiciantur.

Negas, quisquis tu es, corpus sancti Iacobi Apostoli olim
ab Hierosolyma in Hispaniam fuisse translatum, & in ex
trema fere Galitiæ ora fuisse sepultum? Ego verò id tam
manifestis argumentis, locupletibus que testimonijs osten
dam, vt nullatenus deinceps possis refragari. Quod vt ple
nius possim prestare, altius quædam sunt repetenda, & sua
ab origine deducenda veritas. Ante omnia illud affirmo, di
uum Iacobum Apostolum in Hispaniam ad prædicandum
Iesu Christi domini nostri Euangelium uenisse. Hoc diuus
Isidorus, qui ante mille annos in Hispania scripsit, & mul
ti alij deinceps sacri scriptores affirmant. Quod si tanto
rum virorum auctoritate non frangeris, manifesta saltem
ratione superaberis. Nan si hoc negare persistis, vide, obse
cro te, quid agas. Quicquid enim de Apostolorum per totū
orbem ad prædicandum Euangelium diuisione vere tradi
tur, pie creditur: verum nō esse (nefas dictu, & prorsus abo
minandum) contendere videris. Quid enim? singulæ cogniti
tunc orbis prouintia suum Apostolum ex duodecim in illa
diuisione habuerunt: vna Hispania non haberet? Andreas
ad Scythas vsque peruenit, Matheus Aethiopiam adiit, Si
mon & Thadeus Persidē, Bartolomeus in diæ partem pera
grarunt. Tomiam vero ad extremos Indorum recessus pene
trasse,

trasse, cum sacra omnes historie testantur, tum etiam nostris temporibus Lusitani, eo quotidie nauigantes, certum & indubitatum esse compererunt. Et in tanta Apostolorum cura & sollicitudine suo sono totum orbem implendi, nemo eorum in Hispaniam veniret? Sed quæ nam prouincia prætermitteretur, ac defereretur? Notissima, famaue per totum orbem nobilissima, & in sacris etiam literis magno æncomio celebrata, Cæli præterea clementia, vbertate soli, ingeniorumque in primis feracitate insignis: vt quæ iam antea duos Senecas patrem & filium, Lucanum, Columellam, Portium Latronem, aliosque non paucos viros in literis celeberrimos iam produxisset. Eius modi ager quos non fructus sementis Euangelicæ potuit promittere? Quomodo non Apostolos excitaret, illiceret, instimularet? Nec plura hic sum de sancti Apostoli in Hispaniam aduentu dicturus, quoniam ea plene in nostra historia sum prosequutus: vbi etiam rationibus, quæ contra adduci solent, respondi. Vnum illud tamen, quo maxime aduersarij niti videbantur, satis ibi disiectum, denuo mihi hic plenius erit prosterrendum. Ait Apostolorum diuisionem duodecimo post Domini passionem anno fuisse factam, cum iam diuus Iacobus martyrio fuisset coronatus. Ego vero non duodecimo, sed septimo post passionem anno dispersos Apostolos per totum orbem ad prædicandum, fuisse video: cum hoc ipsum multi iidemque grauissimi, & venerandæ sanctitatis auctores scriptum reliquerint, quos longum sit enumerare. Et diuus Iacobus vndecimo tandem post Dominicam passionem anno fuisse occisum, ex ipsa Ac-

Macha. 1,
cap. 8,

etorum Apostolicorum sacra historia, plane in nostra astru-
xi: vt negari non possit, quatuor illi annos vitæ post diuisio-
nem superfuisse, quibus venire in Hispaniam, inibi prædica-
re, & in Iudæam redire potuerit. Atque hæc quidē, quæ de
aduētū sancti Apostoli in Hispaniā astruendo hucusq; à me
tanta contentione confirmata sunt, quoniam ad ea, quæ de-
inceps sum dicturus, magnum firmumque habeāt præsidium,
prætermitti non potuere. At hæc omnia inquis, pie dicuntur,
sed fidem omnino non faciunt. Probari michi ea potenter ve-
lim, non religiose tantum, vt credam, induci. Iterum me de-
nuo hac tua postulatione cōpellis, ad sancti Apostoli in His-
paniam aduentum redire. Labet satis superque probata, ite-
rum (quando ita vis) plenius confirmare. Duo enim sum hic
responsum, quorum alterutrū plene satisfacere potuisset.
Primum, pijs utique animis, & qui vere Christiana summis-
sione mentem rebus sacris subiiciunt: satis superque esse &
potest, & debet antiqua admodum & sine vlla priscae per-
suasionis origine traditio, quam per mille & quingentorum
annorum sæcula continuatam, retinet Hispania. Hæc verò
quam valida sit ratio, quas vires ad persuadendum habeat:
illi plene perspiciunt & intelligunt, quibus humiliter disce-
re cupientibus Deus hoc ipsum dignatur ostendere. Sed pia
hæc omnia & religiosa prorsus respuentibus, quoniam ad
recte & vere iudicandum atque decernendum, non nisi va-
lide & aperte omnia sibi postulant demonstrari: illud alte-
rum respondebimus. Quemadmodum pleniora hic testimo-
nia, validiores ve rationes neque expectare quisquā potest,

ita etiam neque exigere. Quis enim non plane intelligit suscepti negotij eam esse naturam, ut probabilitate quadam & verisimilitudine certitudinem suam comprehensam habeat, atque conclusam, & nullatenus ad euidentem probationem possit pertingere? Rationes itaque, & probationes iustam quandam & plenam probabilitatem præstant: cum maius quiddam hic, aut summum præbere subiecta materia non possit. Iustum est autem, atque adeo necessarium, huiusmodi rationibus satisfactum tibi esse existimes, quando validiores esse non possunt. Hoc docet magna fidutia Aristoteles, Lib. E. h. r. quod Theologi & Iurisconsulti tum verissime traditum esse cap. 3 & 7. ostendunt, tum etiam libentissime amplectuntur. lib. 2. ca. 29 Non semel hoc Aristoteles, sed bis, terque, tanquam admodum necessarium initio Ethicorum non docuit solummodo, sed veluti inculcauit, & in libris etiam Metaphysicorum iterum repetiuit. Neque huc solum eius in hoc ipso edocendo cura peruenit, sed rationibus late hanc suam iustam & æquam postulationem tantopere necessariam confirmauit. Inter eas omnes illa utique maxime excellit: scientiam moralem, quam tunc aggrediebatur, non vniuersalium esse, sed indiuiduorum, quæ certa demonstratione nec comprehendi possunt, nec doceri. At verò nulla equidem aut scientia esse potest aut doctrina, quæ vere magis indiuiduorum sit, quam historia, quæ tota in rerum singularum narratione versatur. Quod etiam adeo certum est, & manifestum, ut hinc præsertim historia nec scientia esse possit, nec nominari. Proinde etiam hoc ipsum Aristotelis seu preceptum,

seu animaduersionem, tanquam propriam & peculiarem, si-
bi quaecunque de sanctis narratio vendicat, & requirit.
Quis igitur in hac causa integram certitudinem, aut indubi-
tatam fidem requirat? Tu te ipse, si quas aduersum nos pro-
bationes adduceres, hanc ipsam verisimilitudinē, & moralē,
vt vocant, certitudinem non possent excedere. Age ergo ijs
te probationū legibus submitto, qui eis dē me subijci velles
cogere. Quamquam multa deinceps asseremus testimonia,
quæ reuera, te ipso iudicante & confitente, vim plenæ certi-
tudinis obtineant. Prosequar ergo deinceps quæ sequuntur,
eadem probandi & confirmandi vsitata certitudine, quā
rei, de qua agitur, natura præstabit. Huiusmodi illa sunt,
quæ de aduentu sancti corporis in Hispaniam per tot ma-
ria non sine ingentibus miraculis delati, appulsi, atque sepul-
ti, in sacris matutinarum lectionibus vetustissimisque manu-
scriptis libris passim per totam late diffusam prouintiam le-
guntur: & prisca nimium ac sine origine traditione reti-
nentur, creduntur, & religiose in nostratum omnium
animis insederunt. Esto sane eiusdem etiam generis videan-
tur, quod, circumlecta tota fere per utrunque mare Medie-
terraneum & Oceanum Hispania ea naus, quæ sacrum
corpus vehebat, non nisi in ultimo Galitiæ recessu conque-
uerit. Quamquam primum horum, in Hispaniam videlicet
venisse, manifesta pene ratione conuincitur. In ea nanque
prouintia mortuus Apostolus maxime voluit sepeliri, in qua
uiuens sanctum Iesu Christi Euangelium predicauerat.
Quod nimirum solemne & commune omnibus Apostolis

ab Petro & Paulo fuisse, quis non videt? Galitiam maxime ipsum se perducere Apostolum voluisse, ideo etiam eadem ratione asseuerant, quod in ea regione remota nimium, inculta magis, & diuini verbi magis indiga, diutius sibi permanendum viuens existimauit. Multa itaque ad Iriam Flauiam, urbem Compostellæ propinquam, loca hodie visuntur, & religiose coluntur, in quibus orasse sanctum Apostolum, sacrum fecisse, & persecutores vitaturus latuisse commemorant. Et interim tamē dum hæc prossequor quam multis rationibus sancti Apostoli in Hispaniam aduentum denuo confirmem, non animaduertis? Sed propero ad reliqua. Sit præterea ex hac mediocri certitudinis firmitate, quam habere potest historia, quod occultatū postea et diligenter reconditum sacrum corpus fuerit à Christianis, persecutionum crudelitatem & ludibria pie metuentibus, quod multis annis incognitum delituerit, quod nulla eius sepulchri fuerit, interim memoria, sed tenuis tantum per septem & eo amplius sæcula recordatio. Verum enim vero inuentum tandem Deo reuelante sacrum corpus, & maxima omnium veneratione per totidem sæcula cultum & frequentatum fuisse: id vero firma & inconcussa veritate, & quantamcunque non habere modo, sed optare historia possit, certitudine demonstrabimus. Non incredulus iam, sed peruiçax omnino sis oportet, si tibi fidem plene & multa, & grauissima, quæ adducuntur testimonia, nō fecerint. Confidenter satis ac superbe agere videris. Non confidenter, sed intrepide: non superbe, sed vere & secure polliceor. Tanta etenim deinceps in his

quæ sequitur, erit & firma veritas, vt inde etiam ad multa quæ iam dicta sunt, indubitata certitudo refundatur. Nam si inuentum Compostellæ sanctum corpus Apostoli & diu-
tissime per multa sæcula ibi ab omnium ordinum homini-
bus magna veneratione cultum manifeste constiterit: mani-
festum etiam vtique apparebit, translatum eò ab Hierosoly-
ma fuisse. Sed ne nimium michi arrogare, & iuditio meo tã-
tummodo omnia videar expendere: te in primis, qui aduer-
sus contēdis, amice prorsus & serio libet percunctari, cuius-
modi testimonia in his quæ proposita demum à me sunt, desi-
deres? Maxima, & quibus maiora nec inueniri possint, nec
optari. Num ex his fuerint Regum diplomata, per septin-
gentos annos continuata? Grauißimas sane memoras atte-
stationes. Sanctissimorum hominum, & ecclesiæ suis tempo-
ribus veluti lumina auctoritas, non dictis solum, sed fa-
ctis etiam declarata? Euge, maiora iam audio. Summorum
Pontificum sententiæ & decreta? Nichil supra. Bene agis:
cum hæc laudas, & extollis, & rigidam michi inde proban-
di formam præscribis. Hoc plane beneficium est. Etenim ho-
rum omnium, quæ tibi tantopere placent, ingentem multitu-
dinem cumulatisime sum deinceps prolaturus. Nec singula
semel iuncta coadunabo, sed temporum ordinē insequutus,
vt quæque se dederint, miscebuntur.

Corpus sancti Apostoli cum diu latuisset, anno tandem
Domini octingentesimo trigesimo quinto (hæc verior est sup-
putatio) diuina reuelatione, vt pleraque alia sanctorum cor-
pora, fuit inuentum. Cum enim rustici monti, qui Compostel-
la dice-

la dicebatur vicini, semel atque iterum noctu splendere lumen vno eodemque semper inibi loco cernerent: religione tacti, Theodomiro Iria Flauia (Padronem nunc vocant) decem & sex tantum milliaribus inde distantis, episcopo nuntiabant. Ille per sese pluribus noctibus luminis eius splendorem eodem loco animaduertens: fodere ipse ibidem supplex cum alijs cepit, egestisque ruderibus, marmoreus tumulus apparuit, in quo sancti Iacobi Apostoli corpus erat inclusum. Nostrorum hoc historicorum, qui quadringentis & eo amplius annis antea scripsere, monumentis, & Compostellanae omniumque nostratum ecclesiarum matutinis lectionibus traditur. Sed quid opus est huiusmodi testimonia consecrari, cum Regio dipplomate hoc sit manifestum? Latus namque caelesti, & tanto munere Theodomirus, celeriter, ut decuit, aetherei thesauri reperti nuntium ad Regem Alfonsum huius nominis I. cognomento Castum, Oueto tunc agentem, perferendum curauit. Rex gaudium caeleste, quo totus fuerat perfusus, magna sua Compostellam perueniendi celeritate declarauit. Quanquam haec & multa alia, quae causa nostrae sunt firma praesidia, operepretium fuerit eum ipsum Regem suo ore, suis verbis narrantem audire, in eo dipplomate, quod postmodum in honorem sancti corporis adinuenti concessit. Id ergo ex archiuis sanctae Compostellanae ecclesiae fideliter cum sua etiam inculti Latini sermonis scabritie descriptum subiungam.

Adefonsus rex. Per hanc nostrae serenitatis infusionem, damus & concedimus huic beato Iacobo Apostolo, & tibi
 patr

patri nostro Theodomiro episcopo tria millia in giro tūba
ecclesiæ beati Iacobi Apostoli. Huius enim beatissimi Apo-
stoli pignora, sanctissimum videlicet corpus, reuelatum est
in nostro tempore. Quod ego audiens, cum magna deuotione
& supplicatione ad adorandum, & venerandum tam pre-
tiosum thesaurū cū maioribus nostri palatij cucurrimus, &
eum, sicut patronum & dominum totius Hispaniæ, cum la-
chrimis & precibus multis adorauimus, & supra dictum
munusculum ei voluntarie concessimus, & in honorē eius ec-
clesiam construi iussimus. & Iriensem sedem cum eodem lo-
co sancto coniunximus, pro anima nostra & parentum no-
strorum. Quatenus hæc omnia deseruiant tibi, & successori-
bus tuis per secula cuncta. Faëta scriptura testamenti in E-
ra. D C C C L X X I I I. pridie Nonas septembris. Ego
Adefonsus Rex hoc meum factum confirmo. Ranemirus
confirmo, Sanctius confirmo, Suero confirmo. Brädila præf-
biter confirmo, Ascaricus abbas confirmo, Vrenaridus
confirmo.

Annus Do-
mini. 835.

Sed cuiusmodi Rex Alfonsus Castus fuit? quam dig-
nu, qui cælitus tanto munere ditaretur? Perpetua virginita-
te singularis, vnde & Casti cognomen inuenit. Quod non
historicorum monumentis solum habuit, sed Regum omnium
insequentium consensu in diplomatis, si quando illum
nomināt, ei est tributum. Religione & sacrarum omnium
rerum cultu in ecclesia insignis. Maurorum terror & vasti-
tas tanto animi robore, & fortitudine, vt nemo illi hac in
parte sit anteferendus. Dum templa magnifice conderet,
opulen-

opulentissime ditaret, & sacra omnia ipse disponderet, monachum tantum diceret. Si quando Maurorum vis fines eius regni inuaderet: iam tunc festinatione, labore, militaris discipline & peritia & animi presertim magnitudine & robore, duces & militem tantummodo, in castris ad bella nutritum crederes. Exercitus nanque plusquam sexaginta millium Maurorum non semel pugnans ipse cum suis deleuit, rebelantes compescuit, & domitos metu & autoritate continuit.

Ranemiri regis qui Castum est insequutus veneranda in sacrum sancti Iacobi corpus nuper inuentum religio magnum illud miraculum pugnantis secum aduersum Mauros ad oppidum Clauijo Apostoli, videtur promeruisse. Id quale quantumque fuerit, non ego copiose adeo aut religiose possum ostendere dicendo, quam est ipso Regis diplomate demonstratum.

In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Antecessorū facta, (per quæ successores ad bonum poterunt erudiri) non sunt praterenda sub silentio, verum potius debent committi monumentis literarum, ut eorum recordatione ad imitationē bonæ operationis inuitetur. Ea propter ego Ranemir^{us} Rex, & à Deo mihi coniuncta Vrraca Regina, cū filio nostro Rege Ordoño, & fratre meo Rege Garfia, oblationem nostram, quam gloriosissimo Apostolo Dei Iacobo fecimus, cū assensu Archiepiscoporum, Episcoporum Abbatū, & nostrorum principū, & omnium Hispaniæ Christianorum, committimus obseruationi: ne forte successores nostri quod à nobis factum est, per ignorantiam tentent irrumperere: & etiam

per recordationem nostræ operationis, ad similiter operandū
moueantur. Causas, quibus ad faciendam istam oblationem
compulsi sumus, scribimus, vt ad notitiam successorum reser-
uentur in posterum. Fuerunt igitur in antiquis temporibus
(circa destructionem Hispaniæ, à Sarracenis factam Rege
Roderico dominante) quidam nostri antecessores pigri, ne-
gligentes, desides, & inertes Christianorum principes, quo-
rum vtique vita nulli fidelium extat imitanda, his (quod re-
latione non est dignum) ne Sarracenorum infestationibus in-
quietarentur, constituerunt eis, nefandos redditus annuatim
persoluendos, centum videlicet puellas excellentissimæ pul-
chritudinis, quinquaginta de nobilioribus, quinquaginta ve-
rò de plebe. Proh dolor, & exemplum posteris non obseruan-
dum, pro pactione pacis temporalis & transitoriae, tradeba-
tur captiua Christianitas, luxuriæ Sarracenorum explēdæ.
Ex prædictorum principum semine nos producti, ex quo per
Dei misericordiam Regni suscepimus gubernaculum, diui-
na inspirante bonitate, prædicta nostræ gentis opprobria co-
gitauimus abolere. Hac de tam digna cogitatione perficien-
da, communicauimus consilium primo Archiepiscopis, Epis-
copis, Abbatibus, & religiosis viris, post modum verò vni-
uersis nostri Regni principibus. Accepto tandem sano, & sa-
lubri consilio, dedimus apud Legionem legem populis, & po-
suimus consuetudines, per vniuersas nostri Regni prouintias
obseruandas. Deinde, vniuersis nostri Regni principibus
& dictum commune dedimus, quatenus quosque robustos, &
ad præliandum fortes viros, tam nobiles, quam ignobiles, tã
milites

milites, quam pedites, ab extremis nostri Regni finibus euo-
 carent, & vsque ad constitutum diem in expeditionem face-
 rent congregare. Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & re-
 ligiosos viros, vt interessent rogauimus, quatenus eorū ora-
 tionibus nostrorum per Dei misericordiam augmentaretur
 fortitudo. Completum est itaque imperium nostrum, & reli-
 ctis ad excolendas terras tantummodo debilibus, & ad bel-
 landum minus idoneis: congregati sunt ceteri, non de nostro
 Imperio, sicut solent, inuiti, sed Deo ducēte per Dei amorem
 spontanei. Cum his ego Rex Ranemirus (de misericordia
 Dei potius, quam de gentis nostræ multitudinem confidens)
 peragratis interiacentibus terris, iter mei exitus direxi in
 Najaram, ac deinde declinaui in locum, qui nuncupatur Al-
 bella. Interim autem, Sarraceni nostrum aduentum (fama
 præcone) cognoscentes, omnes eis marini in vnum contra nos
 congregati sunt: transmarinis etiam per literas, & nuncios
 in suum auxilium conuocatis, inuasērunt nos in multitudine
 graui, & in manu valida. Quid plura? quod sine lachrimis
 non recordaremur peccatis exigentibus, multis ex nostris
 corruentibus, percussis, & vulnerati conuersi sumus in fugā:
 & confusi peruenimus in collem, qui Clauigium nominatur
 ac ibi in vna mole congregati, totam ferē noctem in lachri-
 mis, & orationibus consumpsimus: ignorantes ex toto, quid
 in die essemus postea acturi. Inter ea somnus arripuit me Re-
 gem Ranemirum, cogitantem multa, & anxium de pericu-
 lo gentis Christianæ. At mihi dormienti beatus Iacobus,
 Hispaniarum protector corporali specie est se præsentare

dignatus. Quem cum interrogassem cum admiratione, quis-
nam esset, Apostolum Dei beatum Iacobum, se esse confes-
sus est. Cum a hoc verbum, ultra quam dici potest, obstupui-
sem, beatus Apostolus ait. Nun. quid ignorabas, quod Do-
mus noster Iesu Christus, alias prouincias alijs fratribus
meis Apostolis distribuens: totam Hispaniam, meae tutelae
per sortem deputasset, & meae commississet protectioni? Et
manu propria manum meam astringens, confortare (inquit)
& esto robustus, ego enim ero tibi in auxilium, & manè su-
perabis in manu Dei Sarracenorum, à quibus obsessus es,
innumerabilem multitudinem. Multi tamen ex tuis, quibus
iam parata est aeterna requies, sunt instante pugna, pro Chri-
sti nomine martyrij coronam suscepturi. Et ne super hoc de-
tur locus dubitationi, & vos & Sarraceni, videbitis me con-
stanter in albo equo, dealbata grandi specie vexillum albu
deferentem. Summo igitur manè, facta peccatorum vestro-
rum confessione: & accepta poenitentia, celebratis missis, &
accepta dominici corporis & sanguinis communionem, armata
manu nè dubitetis inuadere Sarracenorum acies, inuocato
nomine Dei, & meo: & pro certo noueritis, eos in ore gladij
ruituros. Et his dictis, euauit à conspectu meo, visu deside-
rabilis Dei Apostolus. Ego autem pro tanta, & tali visione
vehementer è somno excitatus, Archiepiscopis, Episcopis,
Abbatibus, & religiosis viris seorsum vocatis, quicquid mi-
hi fuerat reuelatum lacrimis & singultibus, & nimia con-
tritione cordis eodem ordine propallauì. Illi ergo in oratio-
ne prius prouoluti, Deo & Apostolo, pro tam admirabili cō-
solatione

solatione gratias egerunt innumeras, ac deinde rem admini-
strare (prout nobis fuerat reuelatum) festinauimus. Armata
itaque & ordinata nostrorum acie, venimus cum Sarrace-
nis in pugnam, & beatus Dei Apostolus apparuit, sicut pro-
miserat vtrisque, instigando, & in pugnam animando no-
strorum acies, Sarracenorum verò turbas impediendo, & di-
uerberando. Quod quam cito nobis apparuit, cognouimus,
beatissimi Apostoli promissionem impletam, & de tam præ-
clara visione exhilarati, nomen Dei, & Apostoli in magnis
vocibus, & nimio cordis affectu inuocauimus, dicentes. Ad-
iuua nos Deus, & Sancte Iacobe. Quæ quidem inuocatio,
ibi tunc primo fuit facta in Hispania, & per Dei misericor-
diam non in vanum, eo namque die corruerunt circiter sep-
tuaginta millia Sarracenorum. Tunc etiam euersis eorum
munitionibus, eos insequendo, ciuitatem Calasorram cepi-
mus, & Christianæ religioni subijecimus. ¶ Tantum igitur
Apostoli miraculum, post inopinatam victoriam consideran-
tes: deliberauimus statuere patrono & protectori nostro, bea-
tissimo Iacobo donum aliquod, in perpetuum permanfurum.
Statuimus ergo per totam Hispaniam, ac in vniuersis par-
tibus Hispaniarum, quasunque Deus, sub Apostoli Iacobi
nomine dignaretur à Sarracenis liberare, vouimus obseruan-
dum. Quatenus de vnoquoque iugo bouum: singulæ mensuræ
de meliori fruge ad modum primiciarum, & de vino simili-
ter, ad victum Canonicorum, in ecclesia beati Iacobi commo-
rantium annuatim ministris eiusdem Ecclesiæ in perpetuum
persoluantur. Concessimus etiam, & in perpetuum confirma-

mus, quod Christiani per totam Hispaniam in singulis expeditionibus, de eo quod à Sarracenis acquisierint, ad mensuram portionis vnius militis glorioso patrono nostro, & Hispaniarum protectori beato Iacobo, fideliter atribuat. Hæc omnia donatiua vota & oblationes (sicut superius diximus) per iuramentū nos omnes Christiani Hispaniæ promissimus annuatim Ecclesiæ beati Iacobi, & damus pro nobis, & successoribus nostris, canonice in perpetuum obseruanda. ¶ Petimus ergo, pater omni potens æternæ Deus, quatenus intercedētibus meritis beati Iacobi, ne memineris, domine, iniquitatum nostrarum, sed sola tua misericordia nobis prosit indignis. Et ea quæ ad honorem tuum beato Iacobo Apostolo tuo dedimus, & offerimus, de eis quæ per te (ipso opitulante) acquisiimus, nobis, & successoribus nostris proficiant ad remediū animarū, & per eius intercessionē nos recipere digneris, cum electis tuis in æterna tabernacula, qui in trinitate vivis, & regnas, in sæcula sæculorū amen. ¶ Vovimus etiam, & in perpetuum statuimus tenendam, quatenus quicumque ex genere nostro, vel aliorum descenderint, semper suum præstent auxilium, ad prætaxata beati Iacobi Ecclesiæ donatiua. Quod si quis ex genere nostro, vel aliorum ad hoc nostrum testamentum violandum venerit, vel adimplendum non adiuverit, quisquis ille fuerit clericus, vel laicus in inferno cum Iuda triditore, & Datam & Abiron, quos terra vivos absorbit, damnetur in perpetuum, & filij eius fiant orphaniz, & uxor eius vidua, & regnum eius temporale accipiat alter, & à communione corporis & sanguinis Christi

Christi fiat alienus, eterni verò regni participatione priuetur perenniter. Insuper Regiæ Magestati, & Ecclesiæ beati Iacobi per medium, sex mille libras argenti pariat, & hoc scriptum semper maneat in robore. Nos etiam Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates, qui illud idem miraculum, quod Dominus noster Iesus Christus famulo suo Illustri Regi nostro Ranemiro per Apostolum suum Iacobum dignatus est monstrare, proprijs oculis, Deo iuvante, vidimus: prædictum ipsius Regis nostri, & nostrum, & totius Hispaniæ Christianitatis factum, in perpetuum confirmamus, & canonicè sancimus observandum. Si quis ad hoc scriptum & Ecclesiæ beati Iacobi donativum irrumpendum venerit, vel per solvere renuerit, quisquis ille fuerit, Rex, vel Princeps, rusticus, clericus vel laicus eum maledicimus, & excommunicamus, & cum Iuda traditore gehennali pœna damnamus in perpetuū cruciādū. Hoc idē successores nostri Archiepiscopi Episcopi faciāt deuote annuatim. Quod si renuerint, omnipotentis Dei, Patris & Filij & Spiritus sancti, auctoritate, & nostra damnentur, & excommunicatione & potestate si bi à Deo tradita rei teneantur. Facta scriptura voti, donationis, oblationis huius, in ciuitate Calasorra, noto die octauo Calend. Iunij Era DCCC. Lxxxij. Ego Rex Ranemirus cum coniuge mea Regina Vrraca, & filio nostro rege Ordonio, & fratre meo Garsia hoc scriptum, quod fecimus proprio robore confirmamus.

¶ Ego Dulcis Cantabrienfis Archiep. qui præsens fui, conf.
¶ Ego Suarius Ouetensis Episc. qui præsens fui, confirmo.

¶ Ego

Hæc verior est supputatio, & Annus Domini. 844.

¶ Ego Salomon Astoricēsis Epif. qui præsens fui, confirmo.
 ¶ Ego Oueto Auriensis Epif. qui præsens fui, confirmo.
 ¶ Ego Rodericus Lucensis Epif. qui præsens fui, confirmo.
 ¶ Ego Regina Vrraca confirmo.
 ¶ Ego Rex Ordonius eius filius confirmo.
 ¶ Ego Rex Garfia frater Regis Ranemiri confirmo.
 ¶ Oforius Petri mayordomus Regis, qui præsens fui, cōfir.
 ¶ Pelagius Guterici Regis armiger, qui præsens fui, confir.
 ¶ Menendus Suarici, potestas terræ, qui præsens fui, confir.
 ¶ Rodericus Suarez potestas terræ, qui præsens fui, confir.
 ¶ Suarius Menendus potestas terræ, qui præsens fui, conf.
 ¶ Gudesteus Oforij, potestas terræ, qui præsens fui, cōfirmo.

Qui præsentes fuerunt testes.

¶ Martinus. Testis.
 ¶ Petrus. Testis.
 ¶ Pelagius. Testis,
 ¶ Suarius. Testis.
 ¶ Menendus. Testis.
 ¶ Vicentius sagio Regis. Testis.

¶ Nos omnes Hispaniæ terrarum habitatores populi, qui
 præsentes fuimus, & supra scriptū miraculum patroni, &
 protectoris nostri gloriosissimi Apostoli Iacobi proprijs oc-
 culis vidimus, & triumphum de Sarracenis per Dei miseri-
 cordiam obtinuimus: quod superius scriptum est sancimus:
 & in perpetuum confirmamus permanjurum.

Quid ergo est, bone tu, qui aduersum contendis? totum iam te mirabundam & veluti stupentem video. Ita est profecto. Sed quid hic potissimum admiraris? miraculi magnitudinem? victoriæ præstantiam? doni opulentiam? singulorum, et prouintia totius in dando consensum? Aequè omnia. Sed nullam in dipplomate video corporis nuper inuenti mentionem. At crebro vides, ecclesiam sancti Iacobi Apostoli nominari. Neque vlla tunc fuit alia sancti Apostoli Ecclesia, præter vnā illam, quam Alfonsus super eius tumulum ædificauerat. Templum enim Iriensis cathedralis, quam cum sua illa Ecclesia Alfonsus se coniunxisse, in suo dipplomate memorat: sanctæ Eulaliæ fuit dictum, atque hodie cum eo ipso Diuæ nomine perdurat: indeque multis postea annis (quod suo loco referemus) Compostellam sedes episcopalis fuit translata. Et canonici, quos Rex Ranemirus commemorat, Iriensis Ecclesiæ fuere. Et enim ideo utrâque Ecclesiam Alfonsus coniunxit, & veluti vniuit: vt sacrum Apostoli corpus dignos sacerdotes, custodes, & ministros haberet. Omnem autem tibi dubitationem, si quæ restat, sequentium Regum dipplomata abstulerint, in quibus omnibus sanctum corpus, sacer tumulus, & sanctus locus passim nominantur. Sine ergo me ad Ranemiri Regis votum, magnificentissimumque munus redire, & in eo paulisper, vt decet, & causæ in primis expedit, immorari.

Hoc amplissimum munus, quo Ranemirus sancti Apostoli Ecclesiam & tumulum ditauit: non tibi maxima admiratione atque adeo stupore dignum videtur? Quis nanque

D sine

sine stupore possit recolere, annuo centum milliam aureorū
atque eo amplius censu Compostellanam ecclesiam eo mune-
re fuisse locupletatam? An non etiam cum noua est admira-
tione nouoque stupore recolendum (nisi Dei in sanctos
suos amorem, & honorem reputemus) Hispaniæ fere totius
consensum, propensionem, alacritatem in eo ipso munere cō-
firmando, augendo atque amplificando, per octingentos fere
me annos conseruatam & continuatam? Nam cum diplo-
ma anno Domini octingentesimo quadragésimo quarto (iux-
ta rectiorem computationem) fuerit concessum: hodie tamen
census ille annuus Ecclesiæ Compostellanae integer, & mul-
to in dies auctior persoluitur. Qui quauis tenuis initio, pro
regionum Mauris ademptarum paucitate fuit: nunc vero in-
gentem illam summam exæquat, & superat. Et tot ac tāta,
quæ in eo munere cum maxima admiratione conspiciuntur
& reputantur, sine adinuenti nuper sancti Apostoli corpo-
ris veritate constarent, persisterent, perdurarent? Deus bo-
ne, cuius bonitatis immensæ sunt diuitiæ, Deus iuste, cuius
iustitia iustitia est in æternū, hic ego te apello, te inuoco, &
obtestor. Tu, quæ tua est bonitas, quæ tua æquitas, populū
tuū tibi sua vota, res suas sincero corde magna prōptitudine
& hilaritate offerentem, cum ingenti frugum suarum di-
spendio falli per tot sacula patereris? Sancte Iacobe, tu in-
genti charitate iam in Dei gloria exuberans, & flagrans
zelo iustitiæ, tuam illam Ecclesiam, quæ latea tunc fuit, &
exigua, illud tuum delubrum, non templum, amplissimis
& fidem pene excedentibus, æternum cum summa opu-
lencia

lætia duraturis munerib⁹ ornari, augeri sineres, & celebra-
 ri: nisi sacri corporis tui presentia, magestate, patrocinio,
 & celestis opitulationis præsidio templa quaecunque mag-
 nificentissime constructa, superbaque mole præclsa, digni-
 tate & gloriæ magnitudine superaret? Mendacio te coli per-
 mitteres? fallaci opinione rebus se suis, & laboris fructu spo-
 liare sese tuos cultores & tunc, & per tot postea sæcula, fer-
 re potuisses? Non tu labem tuorum atque falsitatem misera-
 tus, precibus Deum iugiter fatigares, ut illos animorum pe-
 riculo liberaret ut male iactatis frugibus suis parcerent, &
 manuum suarum laboribus plene fruerentur? Sed diplo-
 matis huius quanta fuit semper veritas, existimatio, au-
 thoritas? Regium fuit diploma rite recteque prælato-
 rum, procerum, populique totius consensu plene muni-
 tum. Satis superque hoc erat, sed parum fortasse hoc
 possit videri, si multorum deinceps summorum Pontificum
 confirmationes & hoc ipsum munus stabiliendi curam ani-
 maduertas. Urbanus secundus quingentis ab hinc annis
 magno robore ipsum confirmat. Paschalis, II. qui ei sine in-
 termedio successit, maximum hoc Rancmiri Regis munus
 ratum esse sancivit. Celestinus, III. qui anno Domini.
 MCXCI. & sex sequentibus summus Pontifex fuit, tum
 diplomati, tum concessio in eo muneri tantopere fauit, ut
 præscriptionem omnis generis ab eo ipso remouerit.
 Quid Innocentius, III. proximus Celestini successor?
 Nihil non firmitatis, confirmationis, presidij & so-
 liditatis adiunxit. Et cætera omnia vel Regum diplomata

In cap, Ex
parte. de
cenſibus,

vel ſummorum Pontificum decreta quacunque in testi-
monium adducimus: ex archiuis ſanctæ Compoſtellanæ Eccle-
ſiæ proferimus. Hoc verò Innocentij tertij reſcriptum (quod
auguſtius quiddā & ſanctius habetur) ex ipſis ſacris cano-
nibus, ex ipſo iuris (vt iuriſconſulti dicunt) corpore deſu-
mimus.

Rex Ordonius huius nominis primus Ranemiri filius,
qui patri ſucceſſit in regno, ipſam illam luteam & exiguam
ſancti Iacobi Eccleſiam, illud ipſum delubrum puſillum,
quia tumulto & corpore ſancti Apoſtoli ſupra omnia alia
templa eſſet inclytum, tribus alijs terræ milliaribus in giro
circum adiectis denuo locupletauit. Et eius diploma, quo-
niam cauſæ plurimum confert, neceſſario mihi eſt apponen-
dum.

Ordonius Rex tibi patri noſtro Ataulfo epiſcopo. Mit-
timus tibi per hanc noſtram præceptionem noſtros pueros,
& familiares nuntios, qui pro reuerentia & honore beatiſ-
ſimi Iacobi Apoſtoli noſtri, & totius Hiſpaniæ patroni, cu-
ius corpus tumultatum eſt in Galetia in finibus Amaeæ, vt
conſirment tibi poſt partem loci ſancti tria millia, quæ diuæ
memoriæ prædeceſſor meus Rex Dominus Adefenſus Ca-
ſtus ad honorem eiſdem ſanctiſſimi Apoſtoli contulit, &
ego ſimiliter pro mea anima, ad honorem ſupradicti Apoſtoli
addo alia tria millia: vt ſint ſex millia integra: vt omnis po-
pulus, qui ibi habitauerit, ſeruiat loco ſancto, ſicut mihi &
anteceſſoribus meis ſeruire conſueuerat. Facta ſcriptura in
Era. DCCCLXXXIX. Ordonius Rex confirmo.

Annus Do-
mini. 851.

Primum

Primum omnium illud est operepretium Animaduerte-
re, totius hic iam Hispaniæ patronum sanctum Apostolum
ab Rege nominari. Hoc ipsum nimirum de se ipse pronun-
tiauera, & Ordonius, qui pleno miraculi prælio interfuerat
satis magno experimento didicerat. Vides etiam deinde, tum
diplomatis, tum doni Alfonsi Casti factam plane mentio-
nem: vt plenam & legitimam vtriusque esse hic confirmatio-
nem intelligas. Inuentum vero sanctum corpus iam fuisse,
multis modis hic confirmari non cernis? Quid mihi opus est
alia hic perscrutari? Pleno ore hoc ipsum Rex initio pronun-
tiat. Et sola Alfonsi Casti, eiusq; concessi muneris mentio
inuentum iam sanctū corpus aperte declarat. Esto sane: sed
non sine fructu firmitatis veritatis reliqua expendimus.

Ecclesiam verò, quam circumcirca tria milliaria super
adijcit, sanctum locum appellat, quod sequentes Reges in
diplomatibus frequenter vsurpant, quemadmodum & il-
lud alterum: in Galetia in finibus Amaeæ. Hoc verò Ordo-
nij diploma, quo plenior sit eius auctoritas, Alfonsi Ma-
gni eius filij diplomate fuit postea confirmatum.

Opportune Alfonsi huius nominis tertij, qui Magni cog-
nomen, rebus præclare bello paceque gestis promeruit, facta
mentio est. Huius etenim regis inter ceteros in sancti Apo-
stoli corpus deuotio tātōpere enituit: tot modis Compostellæ
inuentum & sepultum esse testatus est: vt nemini locum
dubitandi in hac parte reliquerit. Primum non minus quā
decem & sex diplomatibus (quæ hodie diuersis annis con-
cessa leguntur) complecti potuere, oppida, ditiones & tra-

Etus terrarum, quæ magnificentissime sancti Apostoli Ecclesie & sepulchro donauit. In his sunt Iria Flauie ciuitas ubi tunc sedes erat episcopalis: ut inde facile deinceps (quod etiam factum postea fuisse, suo loco monstrabimus) Compstellam transferretur. Ad edificare deinde ecclesiam regia magnificentia & sacro thesauro asseruando dignam, eo ipso loco decreuit, quo sanctum corpus inuentum fuerat, & tumulatum perseuerabat. Sed præstiterit ipsum Regem suum hoc consilium referentem audire. Nam eius diplomatis, quod postea eidem ecclesie, cum illam consecraret, concessit, hoc est initium.

Supplex ego Adonfus princeps, egregij eximijque principis Ordonij proles, cum coniuge mea Scimena, sub pontifice loci eiusdem Sifnando statuimus edificare domum Domini, & restaurare templum ad tumulum sepulchri sancti Iacobi, quod construxerat diuæ memoriæ dominus Alfonsus Castus ex petra & luto opere paruo. &c.

Commemorat deinde, quanta cum difficultate marmora pretiosa terra marique aduehenda curauerit: quanto studio & labore templi magnificentissimi structuram insisteret procedere & continuari. Sed illud in primis Magni Regis maximum est religionis studij & deuotionis in hoc opere inditium: quod templum ipsum non nisi summi pontificis, sanctæque Apostolicæ sedis auctoritate voluerit consecrari. Remā ergo insigni legatione missa, quam Seuerus & Desiderius presbiteri grauisimi detulerunt, ab Ioanne. viij. summo tunc temporis pontifice supplex per literas, id ipsum ut concederet,

cederet & preciperet poposcit. Quod cum cæteris eius legationis postulatis benigne adeo cumulateque impetrauit: ut ipse Summus Pontifex, postquam regi presbiteros cum suis Apostolicis literis remisisset, eidem Raynaldum ipse suum legatum, nouum rescriptum perferentem, honoris & dignationis maioris gratia transmiserit. Et quanquam hæc omnia ab nostris historicis grauissimis viris Sampyro episcopo Astoricensi, qui ante sexcentos annos vixit, Ruderico Archiepiscopo Toletano, ac Luca Tudensi, qui ante trecentos scripta reperiuntur: ipsis tamen Apostolicis literis, quas suis illi scriptis conseruari fideliter voluere, plenius confirmantur. Proinde hic mihi non sunt omittendæ.

Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei, Aldefonso Regi Christianissimo, seu cunctis venerabilibus Episcopis, Abbatibus, vel orthodoxis Christianis. Quia in cura nos totius Christianitatis beati Petri apostolorum principis sempiterna prouidentia successores, ea Domini nostri Iesu Christi constringimur adhortatione, qua beatum Petrum apostolus monuit, dicens. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & tibi dabo clauēs regni cælorum, & reliqua. Hinc rursus imminente Domini nostri articulo gloriosæ passionis, inquit. Ego pro te rogaui, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Ideoque quia vestrae notitiæ fama per hos fratres limina Apostolorum lustrantes Senenarum, & Desiderium presbyteros nobis odore bonitatis est reuelata: paterna vos adhortatione commoneo, in cæptis bonis

bonis operibus gratia duce perseverare, quatenus copiosa
vos bati Petri protectoris vestri, & nostra protegat benedi
ctio. Et quotiescunque, fili carissime, ad nos venire quilibet
vestrum, aut transmittere voluerit, tota cordis exultatione,
& animi gaudio de vltimis Galleciæ finibus, cui vos præter
me dominus rectores constituit, tanquam iure filios nostros
colligemus. Et ecclesiam Ouetensem pro vestro consensu,
& assidua petitione metropolitanam constituimus: eique om
nes vos subditos esse mandamus. Et concedimus etiam præ
dictæ sedi, ut ea, quæ Reges, seu quicumque fideles iuste ob
tulerunt, vel in futurum, domino opitulante, contulerint ra
ta, firma, & inconcussa manere in perpetuum præcipi
mus. Hos quoque latores literarum nostrarum omnes hor
tor, ut habeatis commendatos, bene valete.

Ioannes Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Al
defonso glorioso Regi Galletiarum. Literas deuotionis ve
stra suscipientes, quia deuotum vos esse cognouimus erga
vestram sanctam ecclesiam, gratias vobis multiplices referi
mus, Dominum exorantes, ut vigor regni vestri abundet, et
de inimicis vestris victoriam vobis concedat. Nam sicut vos
fili charissime, petistis, sedulas preces Domino fundimus,
ut regnum vestrum gubernet, vos saluos faciat, custodiat,
& protegat super inimicos vestros. Ecclesiam autem beati
Iacobi ab Hispanis Episcopis consecrari facite, & cum eis
concilium celebrate. Et nos quidem gloriose Rex, sicuti vos,
à Paganis iam cōstringimur, & die ac nocte cum illis bella
committimus: sed omnipotens Deus dat nobis de illis trium
phum,

phum. Huius rei gratia, rogamus dilectionē vestram, & benigne deprecamur, ut quia, ut diximus, valde à Paganis opprimimur, aliquantos vtilēs, & optimos equos Mauriscos, cum armis, quos Hispani cauallos Alphasces vocant, ad nos dirigere non omittatis. Quos nos recipientes, Dominum collaudemus, vobis gratias referamus, & per eorum portitorem de benedictionibus sancti Petri vos remuneremus. Bene vale dilectissime fili, & clarissime Rex. Mense Iulio Anno Domini. DCCCLXXIII.

Festum vero consecrationis tanta praelatorum & procerum postea frequentia & magestate est celebratum, ut decem & septem episcopi, comites Palatii nouem cum Regina Scenena regisque filijs, innumeraque hominum cunctarum ordinum multitudine, quinta Maij mensis die, Anno Domini nongentesimo Compostellam conuenerint. Quae omnia cum anni, mensis, dieique notatione eodem illo Regis diplomate continentur. Qui etiā, de illorum temporum more, insuper addidit, illū ipsum trigesimum quartum regni sui annum fuisse. Inibi etiam, oppida multa, ditiones, tractusque terrarum, quae eidem ecclesiae eo die Rex magnificentiſſime contulit, recensentur. Atque eius generis donaria ibi sunt sigillatim descripta: praestantissimum vero aureae crucis donum, quod Rex cum vxore obtulit, hodie etiam visitur. In eo multa sunt, quae non sine summa admiratione & stupore cernuntur. Magnitudo, trium palmorum mensuram altitudine cum pari latitudine (quadrata enim est forma) superexcedens. Operis subtilissimi, & oculorum

E etiam

etiam aciem fallentis præstantia. Gemmarum omnis generis varietas & multitudo, quæ ubique interspersæ, incredibili opulentia opus exornant. Et eius esse Regis hoc donarium, decem & sex antea annis perfectum atque parum fuisse: literæ aureæ loco opportuno affixæ testantur. In his perscriptum diserte est, *Alfonsum Regem* ob honorem sancti Iacobi Apostoli crucem illam cum uxore *Scenna Regina* obtulisse, anno Domini (qui per *Eram* signatur) octingentesimo septuagesimo quarto. Et tanto ante ecclesiæ consecrationem tempore crux fuit fabrefacta, cogitante nimirum iam Rege de sancti templi fabrica, matureque Deum hoc dono per sanctum Apostolum propitiantem, ut cogitationes de ædificando prouerheret, & cæptum deinde opus secundaret.

Et poteram hic iam ego *Alfonsum Magnum* relinquere, & ad cætera quæ restant progredi: nisi vnum adhuc eius Regis, inter magna omnia, quæ iam commemorauimus, maximum causæ nostræ præsidium sine crimine non posset prætermitti. Quid enim? Festum Translationis sancti Apostoli celebrari per totam Hispaniam debere contendimus? Quid si liqui lo ostendā, septingentis antea annis solere celebrari? Summū quiddam polliceris. Sed qui poteris implere? Tanta cum certitudine & aperta veritate promissum adimplebo, ut tute, qui cum me hoc minime assequuturum credis, causa excidisse firmus speras: victum in eadem te, me superante fateare. Animo tantummodo adesto, aures interritus accomoda. *Alfonsus Magnus*
Conime

Conimbrica Lusitanie vrbe diutino bello ac obsidio-
ne Mauris erepta, vota grates que sancto Apostolo,
cuius auspicijs & auxilio tantam victoriam reportauerat,
acturus, oppida & ditiones in captæ urbis Subur-
bijs eius tumulo denuo superaddidit. Eius diplomatis,
quo hæc conseruatur huiusmodi est finis. Facta Carta

Era. DCCCCXXXV 11. die Decembris. XXX. Annus Do-
mini. 899.

in festo Translationis sancti Apostoli. An non ergo
vere sponendi, an non vere me sponsione liberaui? Sed
tu quid obstupescis, quid consternaris? Quin tu potius
bono animo Deo ingentes gratias agis, qui cum hac
rimari, reperiri hic etiam commostrari, atque produci
dignatur: totam ipsam causam aperit, quæ maiora
& firmitiora in ea sunt præsidia palam tibi, omnibus
que in commune vult proferri, quominus possit quis-
quam in iudicando aberrare. Hoc enim festum quis
iam credat, non esse per totam Hispaniam celebran-
dum, quod septingentis antea annis videat, fuisse cele-
bratum? Et Rex Alfonsus Galletiam iam tunc, As-
tutum populos, Legionensem regnum, Castellam, magnam-
que Lusitanie partem obtinebat: ut causari non pos-
sis, Galletiam solam festum illud consuesse celebrare.
Neque id etiam possis obijcere: morem sanctorum cor-
porum translationes celebrandi, per ea tempora nondum
fuisse in Christiana ecclesia inductum.

Etenim cum Diui Eulogij Martyris Cordubensis cor-
pus ex ea vrbe fuisset Ouetum anno Domini octingentesi-

mo octauagesimo tertio translatum, & ab hoc ipso Rege
Alfonso Magno insigni pompa esset exceptum: festum eius
Translationis, quod hodie etiam retinet Ouetensis ecclesia,
cepit illico ritu solemniori, officio etiam proprio adaptato, ce-
lebrari. Quæ omnia nos ex eius temporis probatissimis his-
torijs, tum in nostra, tum etiam in scholijs in eius diuini vitæ
late perscripsimus. Et cuiusque modi martyris translationem
annua celebritate Hispana ecclesia prosequeretur, sancti
vero Apostoli Translatio eodem annuo solemnitatis hono-
re careret?

Multa hic mihi necessario sunt omittenda, ne in im-
mensum excrescat oratio. Ab hoc enim Magno Alfonso
& eius filijs, ad Catholicos nostrorum temporum reges Fer-
nandum & Elisabettam, adde etiam Carolum. V. Impera-
torem eorundem nepotem: nemo fere vnquam Hispaniæ
Regum fuit, qui non ingentia munera, priuilegia permul-
ta Compostellanae ecclesiæ contulerit: suis quæ diplomati-
bus testata cum sancti Apostolici corporis magna venera-
tione & asseueratione reliquerit.

Interim vero, dum superiora omnia prosequor, vides me
vtrunque simul coniungere, & corpus sancti Iacobi Apo-
stoli Compostellæ esse, Hierosolima eo translatum, atque
perinde Translationis eius festum merito per totam Hispaniam
esse celebrandum. Nam, quemadmodum initio dixe-
ram, vtriusque rei tanta est coniunctio, vt vnum pene esse
videantur: iusque illud summum festiuitatem celebrandi,
ex sancti corporis tumulique certitudine sit exortū. Quod

me hucusque dicentem, sepius id colligendi & demonstrandi cura liberauit: & insequentibus etiam vacuum ea sollicitudine, in astruenda solummodo sacri corporis Compostellæ præsentia diligentem retinebit.

Quid sancta ad sanctum corpus totius pene Christiani orbis peregrinatio, quantam sancto translato corpori certitudinem, quantum iuris eius translationis celebrandæ attribuit? Illa omnium nationum ad sancti Apostoli tumulū Compostellam concurrentium frequentia, ille cælestis impulsus, quo primum incitantur, religiosus ille impetus, quo incredibiles itineris labores tolerando perdurāt, illa incomparabilis ecclesiam tandem Compostellanam ingrediendi incunditas, & in sacra confessione purgandis peccatis sedulitas, sacratissimumque Iesu Christi corpus suscipiendi auiditas, quid non diuinæ laudis & gloriæ, quid non cælestis in omnium animis commotionis, quid non ante actorum laborum dignissimā compensationem habet? Dicerem deme, quanuis horum omnium indigno, experto tamen, nisi omnino æquum sit, domesticum veluti testimoniū relinquere. Præstat enim sanctæ peregrinationis tum antiquitatem, tum etiam omnibus retro sæculis stabilitam & confirmatam auctoritatem ostendere. Et temporum seriem insequenti magna quidem initio occurrent, sed maiora deinceps, cælestia plane & diuina sese dabunt testimonia. Septingentis quinquaginta antea annis Carolomanum Galliæ Regem ad sanctum Apostoli corpus venerandum religiose peregrinantem venisse, non obscura fama, non certis historiæ

scriptis solum, sed Sacello in sancta Compostellana ecclesia ab eodem constructo, quod cum eius nomine perdurat, est manifestum. Quid amplius expectes? amplius tamen & certius cape. Anniversario etiam sacro, quod presens ipse & instituit & redditibus assignatis Januavit, eidem usque in hodiernum diem parentatur. Sed enim sacellum, & sacrum anniversarium, quanquam Caroli magni Imperatoris nomen hodie praeferat: falso tamen, ut est manifestum. Nam Carolus Magnus viginti antea annis, quam sanctum corpus inueniretur, obierat. Carolomanus autem eius prone pos magna fuit, cum Alfonso Magno, de quo paulo antediximus, familiaritate coniunctus, quod in nostra historia plene est confirmatum. Illa vero ex religiosa hac peregrinatione videtur conflata. Et nominum similitudo errare facit, quod facile est, Compostellanos.

Eorundem temporum fuit inclytus comes Didacus Porcellus, ut qui sub eodem Alfonso Magno Castellam rexerit, & Burgos urbem clarissimam condiderit. Eius soboles magnum illum Nunniam Rasuram, celebratissimum, sed nunquam satis laudatum Castellae iudicem dedit. Ex eadem stirpe postea duo illa belli fulmina comitem Fernandum Gonsaluum, & Rodericum Cidum habuimus, quorum animi magnitudo bellica virtute praeclens, tantum gloriae & imperij, deuictis & domitis Mauris, Hispaniae nostrae tribuit, quantum vix unquam duo alij patriae suae toto orbe contulerunt. Quod ipsum

ipsum etiam in causa est, ut nostri Reges, qui per annos mille ferme sanguinis sui laudem ab Gothorum Rege sanctissimo & fortissimo Reccaredo aperte continuata stirpe recensent: immixtam postea suae familiae fuisse Fernandi & Roderici prosapiam, merito gloriantur. Sed quorsum haec tam longe repetita? qui possunt ad sanctam peregrinationem, de qua nunc agimus, attinere? Multum omnino. Horum enim omnium, quae & maxima sunt & excelsa, causa & origo ipsa sancta ad sacrum Apostoli corpus peregrinatio fuit. Cum namque Nunnus Belchides Germanus natione, domo Coloniensis, Princeps magni nominis inter suos, ad venerandum sanctum corpus religiose profectus, Burgos nouam urbem, illac enim rectum iter est, venisset, & ab Comite Porcello hospitio benigne & liberaliter fuisset exceptus: tanta hospitis nobilissimi & magnitudinem animi prae se ferentis admiratione & amore captus est Comes: ut ab Compostella perfectis sacris votis reuerenti, Sullam (Bellam alij vocant) unicam filiam cum magnis opibus, cum maiori oppidorum & ditionis hereditario principatu in matrimonium dederit. Ut sanctus Iacobus diuina prouidentia de caelo hoc credi possit iunctis se coniugiū: ut viri inde fortissimi procrearentur, qui Maurorum gentem, bello saepe profligatā, late vastarent, & suū ipse patrociniū Hispanis suis & amplius & firmitus per tales viros largiretur. Sed quā haec vera sunt? qua certitudine

subni-

scriptis solum, sed Sacello in sancta Compostellana ecclesia
ab eodem constructo, quod cum eius nomine perdurat,
est manifestum. Quid amplius expectes? amplius ta-
men & certius cape. Anniversario etiam sacro, quod
presens ipse & instituit & redditibus assignatis Jan-
ciuit, eidem usque in hodiernum diem parentatur. Sed
enim sacellum, & sacrum anniversarium, quanquam
Caroli magni Imperatoris nomen hodie praeferat: fal-
so tamen, ut est manifestum. Nam Carolus Magnus
viginti antea annis, quam sanctum corpus inueniretur,
obierat. Carolomanus autem eius prone pos magna fuit, cum
Alfonso Magno, de quo paulo antediximus, familiari-
tate coniunctus, quod in nostra historia plene est con-
firmatum. Illa vero ex religiosa hac peregrinatione vi-
detur conflata. Et nominum similitudo errare facit, quod
facile est, Compostellanos.

Eorundem temporum fuit inclytus comes Didacus
Porcellus, ut qui sub eodem Alfonso Magno Castella-
nam rexerit, & Burgos urbem clarissimam condiderit.
Eius soboles magnum illum Nunnium Rasuram, ce-
lebratissimum, sed nunquam satis laudatum Castellae
iudicem dedit. Ex eadem stirpe postea duo illa belli
fulmina comitem Fernandum Gonsaluum, & Rodericum
Cidum habuimus, quorum animi magnitudo bellica virtute
praecllens, tantum gloriae & imperij, deuictis & do-
mitis Mauris, Hispaniae nostrae tribuit, quantum vix
vnuquam duo alij patriae suae toto orbe contulerunt. Quod
ipsum

Cardinalem Petrum Damiani sanctissimum virum legatum Mediolanum mittendum curauit. Is post multa pericula tanta sua prudentia rem gessit, vt clericos omnes crimina sua execrantes cū fletu viderit, Vidonem Archiepiscopum in terram proiectum, se cum lacrymis poscentem audierit, dignum sibi pœnitentiæ piaculum imponeret. Quod cum legatus fecisset, ipse porro grauiore se pœnitentiæ pondere sponte sua onerans, voto se solemini in publica cōcione obstrinxit, quo iturum se in Hispaniā ad sancti Iacobi Apostoli corpus promisit. Acta omnia sunt Anno Domini. **MLX.** & ab eodem sanctissimo viro Petro Damiani, in suis ad summum Pontificem literis, quibus legationis suæ rationem reddit, sunt late perscripta: vt nemo maiorem cœtitudinem possit postulare.

Viginti antea annis Fernandus Hispaniæ Rex huius nominis primus, qui Magnus est cognominatus, Conimbricam urbem longa duorum annorum obsidione Mauris abstulerat. In eo bello multa fuere, quæ sanctum Iacobi Apostoli corpus Compostellæ esse, & sanctū coiter magno semper in pretio fuisse, astruant. Primum enim totam eius expeditionis occasionem & voluntatem non nisi sancta hæc peregrinatio Regi dederat. Etenim Monachi duo ex Lorbanensi cœnobio (quod prope eam urbem hodie etiam perdurat) ad sacrum Apostoli corpus profecti, Regem adeunt, & quanta sit Conimbricæ urbis capiendæ opportunitas, Sarracenis negligenter custodientibus, docent. Rex oblatam sibi eam occasionem non

22
tam à monachis , quam ab sancto Iacobo Apostolo ratus,
Compostellam adiit, peruigilque triduo cum triduano ieiunio sanctum Apostolum propitium precatus, tam fausto belli principio obsidere urbem pergit. Biennio que cum magno belli discrimine, famis quæ periculo transacto, urbem ab sancto plane Apostolo non sine ingenti miraculo sibi traditam, deditione recepit. Cum enim Græcus quispiam (episcopum fuisse, & Stephanum vocatum, sunt qui scribant) ad sacrum Apostoli corpus venerandum eo ipso deditionis tempore pergeret, audiret quæ narrantes, sanctum Apostolum armis tectum, equo que insidentem cum suis Hispanis solere aduersus Mauros pugnare: subridens, S. Iacobus, inquit, piscator, non miles fuit. Eadem nocte eidem dormienti sese per somnium idem S. Apostolus equo sublimis, splendens armis fulgidus, manuque clauis gerens obiecit: & ut credas, inquit, me Hispanos meos protengentem cum ipsis pugnare, hac me tibi specie obtuli. Et clauis istæ portarum Conimbricæ urbis sunt, quam crastina Regi Fernando sum traditurus. Tremefactus Græcus diem diligenter signans, ubi captam eodem fuisse urbem intellexit, maiori cum tremore suâ incredulitatem fassus, maiori etiâ cum supplicis animi obsequio sacrum iter continuauit. Regis vero Fernandi verus in tanta victoria fuit triumphus, quam primum Compostellam redire, vota grates quæ sancto Apostolo persolvere, donis quæ amplissimis eidem acceptâ se debere totâ victoriam testari. Hæc fere omnia ex Regis sumpsimus diplomatibus, quibus, tum sancti Apostoli
toli

toli ecclesiæ multa largitur, tum etiam Lorbanensi monasterio, quod se commeatu in fame exercitus inuenerat.

Sed tedit me iam humana testimonia ad causam congerere. Piget tabularia scrutari, & mortales testes producere. Maiora iam animus concipit, ad sublimiora se attollit: terras dedignatus, celo sese inferre, & eo secum sanctam causam cupit adducere. Age ergo bone tu, mecum eo paulisper conscendito. Ad Dei omnipotentis tribunal diem tibi dico, eo vadimonium transfero: qui deinceps nō nisi Diuos in eius iam gloria sempiterna beatitudine perfruentes, testes sim producturus. Adesto interim, queso te, sanctæ Iacobæ, meque tecum iam & cum reliquis calitibus agentē, & causam tuam cælestibus iam hinc præsidij defendentem, cælitus rege, & bene confirma. Maiora aggredior, quā quæ possit sine tuo presenti subsidio prosequi mortalis infirmitas.

Quingenti iam & eo amplius anni sunt, ex quo sanctus Dominicus, Calciatensis postea dictus, cum iuuenis admodum religiosæ vitæ amore succensus, celeberrima Balbanæ primum, sancti AEmiliani deinde monasteria adiit, monachus fieri cupiens: sed utrobique repulsus fuit: quia Dei providentia ad alia sibi gratissima ministeria fuerat delectus. Cum enim quid sibi esset, faciendum, quo Deo fidelius inferuiret, cogitans, Deum quæ, ut ipsum deduceret, assidue deprecans: tandem in eam sententiam inclinavit, quæ cælo sibi demissa liquido postea apparuit. Eo ipso loco, ubi nūc est vrbs, sui nominis, mons fuit nemoribus obsitus, Oja etiā

flumine palustris. Cumque illac rectum esset iter totius Eu-
ropæ hominibus ad sanctum Apostoli corpus peregrinanti-
bus: latronum ibi insidijs, & soli voraginibus misere in se-
stabantur. Sacellum ergo ibidem cum Xenodochio sanctus
Dominicus ædificauit: ubi perpetuo fouendis, protegendis
que sancti Apostoli peregrinis totum se impenderet. Ne
mora excidit, paludes strata lapidibus via coercuit, & flu-
uium ponte imposito domuit, & domo exceptos peregrinan-
tes, benigne semper recreauit. Et cum patria Hispania lin-
gua via, quæ ad eum modum constrata muniantur, Calça
de vocentur: inde nomen vir sanctus accepit, vt Domini-
cus de la Calçada diceretur. Tanta vero eius nominis fama
breui magno sanctissimorum operum merito percrebuit: vt
ibi fuerit ab sancto Dominico Silensi abbate, cuius erat in-
clyta tunc sanctitatis opinio, honorifice conuentus, & in
sanctis suis factis cum laude confortatus. Rex quoque Fer-
nandus Magnus, de quo Paulo ante diximus, sanctum vi-
rum religiose adiit, pecunia, fauore & omni ope semper iu-
uit. Hinc iam quam grata Deo fuerit eiusmodi sancti Do-
minici pietas, satis ostenditur: & quam recte pretiosam
margaritam, omnibus quæ habuit datis, comparauerit, quæ
que reuera & suam vocationem inuenerit, & in ea perman-
serit, intelligitur. Hac eū Dominus vocabat, hac in finem
vsque perseuerans, respondit. Sed hanc in terris ab homini-
bus habuit recte factorum in sua vocatione laudem, & cō-
mendationem. Sed quanto maiora præmia laudis & glo-
rie ab Deo est inter mortales etiam consequutus: Paruum
illud

illud gurgustium in celebrem admodū urbem excreuit, nomen sancti viri & structura eius insignis accepit. Delubrum in celeberrimum templum cum sedis etiam episcopalis maiestate se extulit, tumulū que cum tota simul vrbe & sancto corpori sepulchrū dedit & epitaphiū, Vrbs, enim, quam nunc egregiam cernimus, sancti Dominici de la Calçada vocatur: eius ecclesia Calaguritana, auctoritate sancte sedis Apostolicæ vnita, semper in actis publicis episcopalis nominatur: Calaguritanusque Episcopus publice regerens, simul se etiam Calciatensem nominat, sacrum etiā corpus inibi quiescens, suum secum habet velut inscriptum elogium. Sed illud plane maius, & augustius, eadem sancte Romanæ ecclesiæ auctoritate sanctum Dominicum inter duos iam olim fuisse relatum, & inde eius festum ab Burgensi, Calaguritana, atque alijs nonnullis ecclesijs annuo cultu celebratur. Tot enim tantisque sublimis gloriæ cumulis etiam inter homines Dei benignitas eum extulit, qui se totum inseruiendis peregrinis, ad sanctum diui Iacobi corpus euntibus, dicauerat.

Centum ferme postea annis in eadem diuina vocatione sanctus Ioannes, de Ortega cognominatus, plane fuit exortus. Presbyter admodum diues cum esset, opes suas omnes in eorundem sancti Iacobi peregrinorum tutelam & benignum hospitium, sancti Dominici Calciatensis exemplo, non destituit impendere. Locum ad eam pietatem ad radices montiū, qui de Occa dicuntur, delegit: situ ibidem, qui Ortega dicebatur ab Alfonso Rege Vrracæ filio impetrato. Is sal-

to, nō admodū lōge ab S. Dominici vrbe in ipso eodem peregrinorum itinere positus, tutissimum erat latronum receptaculum. Illos inde Ioannes magno labore fugauit, pōtes etiā in eo ipso sacro itinere Logronij & Najaræ condidit, & cum hereticam vitam delubro ibicum Xenodochio strueto magna sanctitatis fama duceret: sancti Apostoli peregrinos benigne semper multis modis subleuabat. Quæ omnia religiosa admiratione multos mortales cōmouerunt, vt sanctum virum adirent, tantum elemosinarum offerentes, quantum ad suam in pauperes peregrinos benignitatē, & ad duorum pontium substructionem sufficeret. Mortuo postea cælitus tantus honor crebris miraculis accreuit, vt in diuos ab summo Pontifice relatus, annua in Burgenſi, Calaguritana atque alijs nōnullis ecclesijs festiuitate celebretur. Postea quoque ad eius sepulchrum insigne monasterium ordinis sancti Hieronymi (qui est in Hispania magno suo merito celeberrimus) fuit constructum, cui sancti Ioannis de Ortega nomen est: vt totum inclytum cænobiū re & nomine sancti viri clarissimus sit tumulus, pariter et relogiam.

10. Nam vero, bone tu, iure optimo te ad cæleste Dei omni potentis tribunal a me ductum esse intelligis, cum testes in cælis iam agentes, & sempiterno ibidem diuinæ gloriæ incolatu degētes, essent producēdi. Vides etenim s̄ctos duos, quibus summū diuæ huius compellationis honor pleno ore tribuitur, ea peculiari prouidētia, ea propria uocatione fuisse ab Deo omnipotēte, sine cuius voluntate & imperio nec passer.

passerculus laqueo circumplectitur, fuisse creatos, ut Jan-
 eli corporis diui Iacobi Compostellæ quiescētis certitudinē
 astruerent, eius gloriæ suo ministerio, labore, & obsequio
 inseruirent, ius que late celebrandi eius Trāslationis festū
 stabilirent. Atque equidem memini, virum clarissimum, et
 magnis virtutum meritis honorifice semper recotendum,
 dominum Ludouicum Manrricum, summum Philipi. I. I.
 Regis nostri Catholici Elemosinarium, qui paucis antea
 annis est mortuus, mihi sepæ serio affirmasse, cum nonni-
 hil antea de corpore sancti Apostoli Compostellam transla-
 ta dubitasset: omnem penitus suo animo dubitationem exē-
 ptam fuisse, vbi in mea de sancto Apostolo historia de duo-
 bus his sanctis Dominico & Ioanne, & manifesta eorum
 sancta vocatione legisset. Tantam vim renitenti animo
 duo tales testes, ut decuit, intulerunt.

Nec tamen de cælis iam nobis est descendendum. Alio-
 rum nanque duorum grauissimorum inter diuos sunt mihi
 adhuc proferenda testimonia. Diui Franciscus & Domini-
 cus hi sunt, quorum vel solo nomine audito, omnium animis
 reuerentia cum summa veneratione incutitur. Sed cuiusmo-
 di testimonium sunt in causa dicturi? Sanctus Franciscus
 Compostellam ad venerandam sanctum Apostoli corpus
 adiuit: cumque ad eius tumulum magno animi feruore de-
 precaretur, inibi, tanquam sanctæ suæ peregrinationis pre-
 mium, eam diuinitus reuelationem accepit, qua maximum
 suæ sacræ religionis incrementum ei Deus omnipotens pol-
 licebatur. Hoc diuo Bonauentura testante cognoscimus,
 eodem.

eodemque grauissimo & sanctissimo auctore intelligimus,
dium Franciscum postea duos illos inter suos charis-
simos fratres Bernardum de Quinta valle & Egidium de
Asbis ad eandem Compostellanā peregrinationem misisse,
vt ingentis fructus spiritalis & præmij, quod indidem ma-
gno cum animorum emolumento prouenire expertus ipse
senferat, illos non defraudaret.

Sanctum Dominicum Compostellam venisse, in eius his-
toria non legimus. Sed cum Zamora & Legione, non ad-
modum distitis urbibus fuisse, à me sit abunde in eius pro-
sapia testatum: cur non etiam Compostellam accessisse cre-
damus? Nam & monasterium sui ordinis Compostellanū
eo viuente conditum iam fuisse, ex sancti fratris Telmi
(quem nautæ inuocant) vita satis constat. Constat etiam
omnibus, qui de sancto Dominico scripsere, testantibus, in
Gallia illum olim peregrinos quosdam, Compostellam re-
ligionis & voti causa adeuntes, in flumine casu submersos
& extinctos, suis precibus ad vitam reuocasse. Et nisi itine-
ris causam magnopere probaret, pieque admodum & vere
ad sanctum Apostoli corpus eos ire crederet: cœptum iter
finire non cuperet, tanto suo interuentu & auxilio apud
Deum non emeret. Quid vero? magnum non habet hoc fa-
ctum & manifestum Diui huius ad nostram causam tes-
timonium.

Ecquid iam bone tu vides, terris te auulsum iure op-
timo à me in calos esse deductum? & talibus testibus pro-
ducendis non nisi Dei omnipotentis tribuual merito esse
deleo

delectum? Et cum eorum testimonia vides, non etiam illos tecum loquentes, teque seuerè obiurgantes audis? Atque equidem Calciatensis & Ortega hæc voces, te diuino zelo & charitate increpantes, auribus tuis, si aures audiendi habeas, insonare mihi videntur. Quid tu agis, qui aduersus in hoc iuditio contendis? Non animaduertis, te non hominibus, sed Deo, ad cuius tribunal stas, refragari? Quæ ipse pro infinita sua bonitate nobis bona ingentia vocationis, ad implendique in ea ministerij contulit, negas? Ipse & velle dedit, & pro bona voluntate perficere: tu & voluisse illi, & perfecisse in nobis rēnuis? Tantam cordis duritiem, tantam mentis obtenebratæ caue cæcitatem, qua Dei gloriæ, qui in sanctis suis est mirabilis, resistis, & eius lumē, quod in te est, data veluti opera, extinguis. Quid sancti Franciscus & Dominic⁹ alter? quomodo tecū agūt? Sic plane. Nos vides sancti Iacobi corpus Cōpostellæ, quaquā ratione potuimus, venerātes, quibuscunq; modis datū à Deo nobis fuit, ibi esse asseuerantes: tu contra niteris aduersari? Translationes vtriusque nostrum toto orbe Christiano magna festiuitate celebrantur: & mirabilem sancti Apostoli Trāsfationem tota in sua Hispania putas, non debere celebrari? Bone Deus, tu tantam iuditij peruersitatem, tantam obcæcata mentis caliginem miseratus illumina. Ita illi tecum equidem. Ego vero post illos quid tecum simacturus? Si tibi in iuditio ante Dei omnipotentis tribunal contendenti sanctorum, qui ibi vocati comparent, testimonia, voces, seueræque admonitiones, numinis mētum, reuerentiamque

non incutiunt: quid me censes profuturū? Quid ergo agā?
Te auerſer repugnantē? Charitas id Chriſtiana prohibet.
Miſertus cum fletu & lachrymis compatiar? Id dignum
eſt homine Chriſtiano: ſed ad cauſam obtinendam non ad-
modum opportunum. Quid porro? Deum certe cum iſſdem
illis lachrymis, quaſtui expreſſerat miſericordia, denuo ma-
iori commotione inſtauratis, ſupplex poſcam, ſupplex de-
precabor: vt tuam hanc duriſſimam emolliat: cor docile, cordo-
cile, vt Salomon petebat, tribuat: vt hic poſſit diſcernere in-
ter bonum & malum, & tantam abſe labem, & animi lap-
ſum poſſit auertere.

Nimis vrgeo. Commoueri iam animo videris. Euge
Magne Deus, euge ſancte Iacobe. Multū iam in cauſa pro-
moui. Hoc volebam, huc aſpirabam. Religione tantum ſe-
mel animum tuum tangerem, omnia mihi deinceps perfecta
eſſe arbitrabar. Sed, id vt plenius conſequar, libet percun-
tari. Hanc animi tui commotionem, hunc ad faciliorem
perſuaſionem aditum, quem patefacere incipis: num meis ra-
tionibus, num contentione mea in probando, ego ſum conſe-
quutus: an vero tuus animus religione tactus, peruium hūc
mihi ad ſeſe præbuit ingreſſum? & cæleſti impulſu emolli-
tus, ad credendum his, quæ à me dicuntur, ſe dat propenſio-
rem? Cælitus prorſus me ſentio commoueri, & Dei benigni-
tate ad libentius audiendum, ſuauiusque animaduertendū,
emollior. O quam dulce eſt & iucundum, cum homine &
Chriſtiano, & pio de pijs Chriſtianæ religionis rebus con-
tendere. Deum vere habet patronus ſuum adiutorem: ille

que

que in causa perficit, quod magna dicendi & probandi efficaciatia consequi nunquam fortasse potuisset. Dat, quod in causa maxime est optandum, pene confitentem aduersariū. Alacris proinde ego etiam, quemadmodum & tu, reliqua persequar. Rogo te igitur præterea: istam tuam alacritatē & inclinati iam animi incunditatem, quæ diuina plane est, & cælitus tibi, vt tute inquis, immissa: num præcessit alia qua primum excitatio, qua meus rationibus veluti concessa nutaret, & testimoniorum vim persentis ceret? Negare nō possum, quin primum rationes tuæ meum animum pupugerint, atque instimulauerint: sed vim maiorem & vere validam cælo aduenisse, animumque meum prorsus immutasse, non dubito. Vin ergo numini tantum, quæ restant, peragenda relinquamus, & nullis probationibus deinceps utamur? Non censeo. Expertus nanque, vt dicebam, satis iam didici, animum meum fuisse, te audiendo, excitatum, vt cælitus deinde totus concitaretur.

Pergerem ergo ad tertium illud, quod initio proposueram, probandum: nisi tunc quoque pollicitus fuissim, multa me Summorū Pontificum rescripta, causæ magnopere profutura, producturum. Quædam iam sunt allata, sed multo plura, ponderis que amplioris nunc sunt proferenda.

Idem ille Urbanus. II. de quo iam cœpimus dicere, Iriē sem sedem episcopalem Compostellam, in sancti corporis honorem transtulit, metropolitanaeque Braccarensis subiectione exemit, vt sanctæ Romanæ iurisdictioni esset immediata. Rescriptum quinta die decembris datum fuit Anno

Domini. M^oXCVI. Et diem quidem, mensem & annum
figillatim hic, & in omnibus fere sequentibus Summorum
Pontificum rescriptis possum signare, quia ex tabulario
sanctæ Compostellanae ecclesiæ omnia habui, perlegi, des-
cripsi.

Hanc eiusdem ecclesiæ exemptionem Paschalis. II. de
quo etiam iam dictum est, confirmavit, sub datis decembris
II. Anno MCII. Idē postea ad sublimius & dignius Aposto-
lici corporis ministerium, eidem ecclesiæ duodecim cano-
nicos, Cardinalium nomine & mithræ usu honestatos, qui-
bus solis liceret, sacrum in ara sanctæ ecclesiæ maxima,
quæ sancti Apostoli tumulo est super imposita, facere. Sub
dati mense Maio, anno MCIII. Hi etiam Cardinales ho-
dieque, & nomine & mithræ insignes, eam ipsam aram soli
in sacro Missæ peragendo frequentant. Anno deinde inse-
quenti, MCIII. mense octobri, pallij, quo soli utuntur
Archiepiscopi, usum in maioribus tantum festiuitatibus fe-
rendum, Compostellano episcopo concessit. Nimirum Pas-
chalis tot tantaque in sancti Apostolici corporis honorem
magnificentissime contulit, quia cum Cardinalis antea lega-
tus in Hispania, sanctum corpus Compostellæ veneratus
fuisset: quam vere illic esset, cælesti illa animi letitia, de
qua diximus, qua nullum maius est testimonium, per sēse-
rat. Fuisse autem, Raynerius cum vocaretur, legatum in
Hispania, funerique Garfiae Galletiæ Regis, qui in vincu-
lis obierat, Legionē anno Domini. M^oXC. interfuisse, con-
ciliumque inibi cum multis, qui conuenerant, episcopis cele-
brasse,

brasse, Archiepiscopus Rudericus & Lucas Tudenfis, gra-
uissimi rerum nostratum scriptores memorant.

Hunc paucis post annis Calixtus. II. summus Ponti-
fex est insequutus. Is quoque Archiepiscopus Vienenfis in
Gallia cum esset, sacrum Apostoli corpus Compostellæ reli-
giose fuerat veneratus, & eodem illo interno animi gaudio
calitus perfusus. Inde tam multa sanctæ Compostellanae
ecclesiæ postea contulit, & tot modis Apostolici corporis
ueritadini & gloriæ asserendæ & confirmandæ se dedit,
vt ego eadem referendi maxime cupidus, vix possim omnia
recensere. Compostellanam ecclesiam metropolitanam conf-
tituit, translata in eam Emeretensi metropoli, quæ (vastata
sepius & diruta Maurorum tempore vrbe) penitus erat
abolita. Sub datis. XXVI. februarij. Anno Domini. M.
CXX. Et cum multa alia sint eius in sanctæ Compostel-
lanae ecclesiæ tabulario rescripta, quibus multa sepius &
magna concedit: in his omnibus semper affirmat, sacrū ibi
corpus esse sepultum. Id ipsum vrbani, idem Paschalis tes-
tatur, qui de priscis sancti templi angustiis, testis nimirum
oculatus, conqueritur.

Summorum quoque Pontificum illa amplior est & om-
ni dubitatione maior in hac parte asseueratio, quod tanti
semper votum Compostellam adeundi fecerint: cum illud
cum Hierosolimitano atque alijs semper exceperint: penā
etiam ex communicationis sacris canonum rescriptis ei sa-
cerdoti imposta, qui eius voti reum, sine summi Pontificis
bene placito absoluerit. Quo pacto hi omnes Summi Pon-

In Extra-
uag. Et 6
Dominici
2. de pœ-
nit. & re-
miss,

tifices ferre illum possent, quomodo non etiam puniendum
ducerent, qui sacrum Apostoli corpus Compostellæ esse ne-
garet? Et corpore sanctissimo eo translato, ipsumque inibi
toto orbe Christiano venerante: sua Hispania eius Trans-
lationem multis antea sæculis cultam, subito desinat cele-
brare? Superi, quos ante in testes adduximus, auertant.

Tertium illud iam, quod superest, aggrediar: pene nunc
non noua concessione opus esse, vt per totam Hispaniam
sanctæ Translationis festum celebretur. Hic quo rationes
sunt validiores, & manifesta magis testimonia: minus erit
mibi enitendum, vt animum tuum paulisper inflectam, &
Deo, vt iaebas, quoddam modo præparem. Ipsa per sese nu-
da testimonia, manifestam habent probationem, vimque in-
ferunt indubitatæ veritatis. Cum Pius. V. piæ memoriæ
Summus Pontifex toti Hispaniæ quator illa festa (quæ
nefas videbatur prætermitti) celebranda concessisset: Gre-
gorius sanctæ itidem memoriæ. XIII. multa de eisdem
suo breui, cuius initium est: Pastoralis officij cura: tum de-
clarauit, tum etiam denuo constituit. De festo vero Trans-
lationis sancti Apostoli ibidem ita inquit. Et quoniam in
regno Castellæ in pluribus ecclesijs celebratur die trigesimo
decembris Translatio sancti Iacobi Apostoli Hispania-
rum patroni, præcipuum duplex: & cætera, quæ tam opero-
se ibide celebrando hoc festo constituuntur. Hæc Apostoli-
ca Summi Pontificis seu iussio illa sit, seu concessio, toti pe-
ne Hispaniæ est communis. Paucissimæ enim ecclesiæ ibi
sunt, in quibus hoc festum non consueuerit multis retro sæ-
culis

culis celebrari. Et quod semel iam aperta Summi Pontificis voluntate & decreto omnibus ferme Hispaniæ diæcesibus est tributum, nunc vni tantūmodo Compostellanæ permittitur? Hæc cū manifesta sit multarum nostratium ecclesiarum offensa (nam iniuriam vereor dicere) & læsas se hoc nouo decreto fuisse, iuste possint conqueri: tum in primis Toletana Hispaniæ Primas, & super cæteras omnes multis nominibus veneranda metropolis, iustam inde querimoniā merito magis possit obtendere. Idem nanque Summus Pontifex Gregorius. XIII. cum eidem sanctæ ecclesiæ vt tutela res suos sanctos, propriaque festa cum suis etiam proprijs officijs celebranda concederet: festum etiam Translationis sancti Iacobi Apostoli, cum suis proprijs lectionibus, propria que oratione concessit. Est autem hæc oratio. Deus, qui dispositione mirabili corpus beati Iacobi Apostoli tui de Hierosolima ad Hispaniam transferri, & in Compostella gloriose sepeliri voluisti: concede propitius, vt eius meritis & precibus in cælesti Ierusalem collocari mereamur. Per Dominum &c. Et sancta nunc Toletana ecclesia hoc festum celebrare prohibebitur, quod Summi Pontificis auctoritate, decreto, & manifesta concessione nuper admodū suscepit? Beneficium sanctæ sedis Apostolicæ hoc fuit, quoniam suo malo merito hoc caret? Priuilegium fuit, quia de causa eo tantotius priuatur? Iuste & pie ab sancta Sede hoc postulauit, iuste etiam & benigne impetrauit: quid nūc hoc ipso repente spoliatur? Atque equidem multæ per Hispaniam ecclesiæ, Primatem suam sequutæ, cum olim festū

32
ipsum celebrare consueffent, proprium illud officium nunc
sumpsere recitandū. Semel enim ab sancta Sede Apostoli-
ca approbatum, sumere, rite & legitime potuerunt: cum certe
nihil hic referat, vni ecclesie fuisse concessum, vbi tantum
est approbatio necessaria. Hinc etiam in omnibus iam, aut
plerisq; Hispanis supplemētis, in quibus seorsum, vt decet,
quatuor illa Hispania festa peculiaria & communia cum
suis proprijs officijs excuduntur, oratio iā dicta festi Trāsf-
lationis circunfertur excussa. Qualis vero fuerit, quantaq;
confusione plena hæc subita mutatio, quæ ius fasque tolle-
re videatur? Sed nihil hæc obstant, inquis. Sunt enim iam
abrogata per hoc recens sanctissimi D.N. Sixti.V. breue,
die primo Februarij anni superioris. MDLXXXIX.
expeditū, in quo de vtroq; sancti Apostoli festo constituit:
vniq; nullā obtinent, qua possint obsistere. Hoc si ita est:
ego etiā nō libens modo, sed supplex præterea & venerabū-
dus pareo: incassum: que me hic fateor tam longa oratione
contendere. Verum enim vero eodem supplici animo eadem
reuerenti veneratione, legitimo meo iure, ab eadem sancta
Sede per sacros canones mihi concessio, querere in sisto: qui-
bus nam verbis eiusdem breuis illa omnia sint abrogata?
Illis plane postremis. Non obstantibus præmissis, ac in pro-
uincialibus & synodalibus concilijs æditis specialibus vel
generalibus constitutionibus & ordinationibus, ceterisq;
contrarijs quibuscunque. Video sane, & illis duobus ver-
bis: quibuscunque contrarijs: sentio me maxime vrgeri. At
vero tam pauculis verbis, ijsque in vniuersum prolatis, tā
præ-

præclara, tam recentia Apostolica Sedis priuilegia, sanctis Hispaniæ ecclesijs, & in sancti Apostoli honorem concessa dissoluuntur, annullantur, auferuntur? Solet eadem Sancta Sedes in huiusmodi abrogationibus, atque in his præsertim, quibus seuerè magis quam benefice, districtè magis quam benigne (exigentibus tunc id ipsum iustissimis causis) suo priuilegio quenquam carere iubet: quicquid fauere spoliato & auxiliari poterat, diserte & sigillatim in sacris suis literis amouendo, recensere: vt nulla deinceps remanere possit dubitatio, quin amota sint ea omnia auxilia & perfugia. Notum est hoc omnibus & manifestum. Deinde vero tota simul Hispania, & sancta in ea Toletana ecclesia Primas suo priuilegio nuperrime concessa & impetrata, duobus illis verbis: contrarijs quibuscunque: spoliari iudicabitur?

Sed inquis. Quid ergo agis? Quid contendis? Insignem illam congregationem quinque Cardinalium, genere, prudentia & literis clarissimorum, adiunctis etiam viris doctissimis, vnde decretum emanauit, hæc ipsa, quæ commemoras, priuilegia credis ignorasse? Minime de tantis ac talibus viris credere ausim, sed nullam tamen eorundem mentionem in remouendis contrarijs factam esse video. Forsitam oblitos eorum fuisse in decernendo possemus suspicari. Si nanque eorum mentibus eo tempore obuersarentur, benignissima, honorifica, & religiosa & in sancti Apostoli venerationem nobilissima prouintia, & sanctissimæ metropolis sublimitati collata priuilegia, nunquam prosterne-

rent.

rent. Quod si id animo infederat, quoniam æqui ac boni ratio hoc ipsum non postulare modo, sed etiam exigere, videre tur pluribus declarauissent, & de more sanctæ Sedis Apostolicæ sigillatim enumerando testarentur.

Honori hoc, inquis, prouintia, & ecclesiæ Toletanæ tributum est: ut cum carere suis priuilegijs deberent, non nominarentur. Silentium id beneficium fuit. Nullatenus. Potuere namque illa consueta, sine proprio cuiusquam nomine superaddi: non obstantibus felicitis memoriæ &c.

Sed heus bone tu, indignabundus iam proclamas, liberior me, aut etiam procacius in sanctam congregationem animaduertere, Magne Deus, qui hominum cogitationes scrutaris & corda: hic ego te, ad hæc responsurus, iterum apello, inuoco & obtestor. Nosti enim, quam bono animo, te opitulante, hic sim, quam nulla ex parte hanc reprehensionem pertimescam. Quam obrem audacter fortasse, sed vere dicturus sum. Si quenquam vsipiam esse inter Christianos homines crederem, qui me summisione, reuerentia & obsequendi animo & voluntate, in sanctam Sedem Apostolicam, resque omnes suas, etiam minimas, superaret: cui cui modi sum, hunc ego mihi inquirendum putarem, ut me, quod mihi in hac parte deesset, doceret. Sed cum ego (ingentes inde Deo gratias ago) mihi ipse bene conscius sim, summam in me esse erga Sanctam Sedem, suaque omnia reuerentiam, supplicem que cum debita humilitate venerationem: deuoto inseruiendi obsequio, prompto gratum faciendi studio, hæc omnia elaboravi. Et quid ni elaborarem? cū

san

sanctam congregationem viderem, harum rerum omnium,
 quæ hic pertractantur, cupidissimam? & earundem exquisi-
 sitam inuestigationem, & indubitam, si quæ esse possit,
 certitudinem postulâtem? Non ne id clarissimi Cardinalis
 Iesualdi, ad clarissimum Cardinalem Hispalensem literæ
 testantur? Post promulgatum iam suum literis Apostolicis
 decretum: cupit tamen se plenius in his omnibus edoceri.
 Ego vero, qui longo meo lœgenæ ætatis (octogenarius enim
 ferme iam sum) decursu, nihil prius aut potius vnquam ha-
 buerim, quam vt hæc omnia auidissime inuestigare, & ma-
 gnis præsijs, incredibili diligentia, indefesso quæ labore
 id esset (soli Deo laus honor & gloria) consequutus, vt cer-
 ti & indubitati aliquantulum contulisse crederer: obsequij
 mei, studij & obseruantie in clarissimam congregationem
 esse existimaui, vt hæc omnia in hac mea oratione cogererẽ,
 & ipsa quam primum, per amplissimum, inclytaque
 laude vndiquaque dignissimum Archiepiscopum Compos-
 tellanum Romam transmittenda curarem.

Quo circa ego vos iam quintumuiros clarissimos, iudi-
 cesque sanctissimos, Illustrissimos & Reuerendissimos san-
 ctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales magna cum veneratio-
 ne primum obsecro: vt quæ vobis obsequendi, suppliciter-
 que inseruiendi studio elaborata fuisse videtis, grato animo
 benigne excipiat. Supplex deinde, qua decet reuerentia
 precor, & per Deum enixe obtestor, vt huius causæ magni-
 tudini, quam mente & cogitatione, sat scio, probe compren-
 ditis, tantum curæ, assiduæ animaduersionis & diligen-
 tiæ

tie impendatis: quantum singula examinanda, discutien-
da, atque expendenda suo iure postulant: ne quid negligenti-
a prætermisum desit, ne quid non plene discussum obsit.
Sic tandem fiet, ut Dei in sanctis suis gloria recte & vere
inseruiatis, Hispaniæ totius dignitati & existimationi
consulentes: & quod velle ipsi videmini, & magnis votis
optare, id cum Dei gloria, sancti Iacobi Apostoli
debita veneratione, atque multorum gra-
tia consequamini.

Dixi.

ti. mher

singula examina.
iure postul-
mid